



Q 24

D I B





EXERCITATIO PHILOSOPHICA  
POSTERIOR

De

HEROICA

VIRTUTE,

*Ad disputandum proposita*

à

M. IACOBO THOMASIO, Lips.

Philos. Moralis Prof. Publ.

RESPONDENTE

BENEDICTO DAVIDE CARPZOVIO,

Lips. Magisterii Candidato,

*In 16. d. Januarii*

H.L.Q.C.

LIPSIÆ,

Literis WITTIGAVIANIS,

M DC. LVI.

ho-  
Dei,  
ne-  
cum  
xæ  
cta  
dia-  
nan-  
alia  
as in  
ro-  
ia-  
ib.  
na





ILLUMINATÆ MENTIS,  
HEROICÆ PIETATIS,  
ARDENTIS ELOQUII

THEOLOGO,

JOHANNI BENEDICTO  
CARPZOVIO,

PATRONO, ET COMPATRI SUO,  
DEBITAM OBSERVANTIAM  
TESTATAM FACERE,

SIMVLQVE

PRIMOGENITUM

PATERNI DECORIS ÆMULUM,

CÆTERISQVE FRATRIBUS

FELICITER PRÆLUCENTEM

GRATULARI CUPIENS

DEDICAT

PRÆSES.





## Juvante Triuno!

I.

**P**raclarè meritis est de morali Philo-  
phiâ Theodorus Zwingerus, quòd è Stobæo colle-  
cta *Pythagoreorum fragmenta Ethica Nicomacheis*  
Aristotelis adjici curavit. Praclarè mereatur, si  
quis breviter & methodicè demonstrat, quæ de Py-  
thagoreis transumpta Aristoteles (sunt enim non pauca) vel reti-  
nerit prorsùs, vel limando corrigendoq; emendaverit, vel deniq;  
supplendo perfecit.

E fragmentis  
Pythagoreo-  
rum

2. Tametsi enim in scholis suis ad Aristotelem alicubi locos  
Pythagoreos indicat Zwingerus; tamen pleniorè expositionem,  
quæq; uno quasi intuitu omnia repræsentet, res ipsa desiderat,  
cùm apud Zwingerum dispersa hæc, præterea neq; omnia, neque  
justis applicationibus dilucidata legantur. Id quod ipsi nequaquã  
exprobramus, ut, cui non parallela Aristotelis & Pythagoreorum,  
sed scholia ad libros Nicomacheos scribere consilium fuerit.

3. Nos, quoniam de *Heroicâ Virtute* alteram Disputationem  
ingredimur, non possumus, quin deprehensum in illis fragmen-  
tis, neq; à Zwingero in scholis annotatum locum, qui egregiè ad  
Aristotelem eâ de virtute rectiùs intelligendum facit, quasi loco  
exordii novi hîc excutiamus.

4. Is est *Theagis* lib. de virtutibus, ap. Zwingerum p. 471.  
Φᾶυλοι μὲν γὰρ τοὶ ἀνδρωποὶ ἢ Διὸς κακίαν, ἢ δὲ ἀκροατίας, ἢ Διὸς  
εὐλογίας. Ab hoc fonte scilicet manifestè profluxit initium illius  
disputationis, quam ad Heroicam Virtutem deduxit Aristoteles  
tùm VII. Nic. seu VI. Eudem. c. 1. quem locum & superiore Exer-  
citatione adduximus: tùm II. Magn. mor. 5 quem hîc afferemus:  
ἐστὶ δὲ τρία τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενα, καὶ τὰ Φᾶυλοι λεγόμενα, κακία,  
ἀκροασία, εὐλογία.

affertur lo-  
cus Theagis.

A 4

5. Est





5. Est autem hæc vitiositatum per *gradus* distinctio, quorū *infimus* est semivitiū, qualis est incontinentia; *superior* vitii; *supremus*, eoq; maximè detestandus, feritatis.

cum autoris  
expositione.

6. Sed longè aliam apud Theagem hæc expositionem habent: quasi scilicet hoc pacto non per *gradus*, sed per *species* distingueretur vitiositas. Refert enim disertè τὴν κακίαν ad λογιστικὸν animæ μέρῳ; τὴν ἀκρασίαν ad ὀπίσθητικὸν, τὴν θηρότητα deniq; ad τὸ θυμοειδές; quibus sedibus vetustiores ipsas inter se virtutum species distinxit; haud ita pridem in disputatione de Temperantiâ monuimus.

7. Atq; hoc modo κακία prudentiæ: ἀκρασία temperantiæ; θηρότης fortitudinis, vel etiam mansuetudinis extremum esset, quæ aliàs nobis calliditatis, intemperantiæ, ac crudelitatis nominibus veniunt.

8. Ne tamen quid dissimulemus, ejusdem Theagis aliis nobis servatus est locus, ubi de incontinentiâ propiùs ad sententiâ Aristotelis philosophatur. Vocat enim eam expressè vitium *semiperfectum*, sicuti contrariâ continentiam virtutem *semiperfectâ*, docetque utramvis cum violentia quadam ac dolore, perinde ac virtutem perfectam cum voluptate, conjunctam esse, pag. 478. 479 Quibus similia in fragmento Metopi leguntur p. 474.

ab Aristotelo

9. Sed non immeritò dubites, an ἀκρασία, vocabulo Theages utrobique pari sensu usus fuerit. Sanè enim diversa sunt, quæ illi opponit. Quicquid sit, hoc possumus affirmare interim, Aristotelem hoc Pythagoreorum invento (modò non ipsi quoq; è philosophiâ antiquiore hausserunt,) sic usum esse, ut perperam accommodatis meliorem sensum, inchoatis perfectionē addiderit.

In sensum  
meliorē  
traductus,

10. Primò enim jusit illam τῶν Φευκῶν divisionem ejusmodi esse, non quæ propriè sic dictas *species*, sed quæ *gradus* tantum τῆς μοχθησίας importaret, ut jam thesis. monitum est nobis.

& expletus

11. Deinde singulis τῶν Φευκῶν generibus singula item τῶν ἀειτῶν genera opposuit.

12. Quâ in re fecerant Pythagorei. Solius enim ἀρετῆς & ἐγχευείας, quarum illa perspicit τὴν κακίαν, hæc τὴν ἀκρασίαν opponitur, apud Theagen & reliquos nomen legitur. De virtute Herōtia, aut quomodocunq; id appellare liber, quod τῆς θηρότητι in hæc



hâc partitione cōtrarium statuatur, ne verbum quidem reperias in universis illis fragmentis.

13. N mirum hoc innuit Aristoteles, ubi dicit in Nicomacheis: *contrarium vitii & in continentia notum esse*. Licebitq; etiâ huc accommodare verba Magnorum Moraliū: ἡ δὲ ἀντικειμένη δρετή τῶν ἡ (ἡ θρησιότητι) ἐστὶν ἀνώνυμ. Nempe quia eâ de re non fuerant solliciti ἢ περὶ Ἀριστοτέλους philosophi.

14. Ipse ergo, quod alii neglexerant, *supplevit*. Neq; tamen recessit ab eorum exemplo, sed pari *metaphorâ* usus est in inveni-endo huic virtuti nomine.

15. Igitur, ut illi eam vitiositatem, quæ humanitatis limites *excedit, feritatem à feris*; sic ipse τὴν ὑπερ ἀνθρώπων δρετὴν à diis vel heroibus (habiti enim sunt *heroes* pro Deorum quadam familiâ) convenientissimè denominavit *divinam vel heroicam*: quam nos Christiani, in eâ metaphorâ persistentes, *angelicam*, ut superiori exercitatione th. 12. ostensum, appellaremus.

adjectione  
Heroicæ vir-  
tis.

16. Est enim homo medium quiddam inter brutum, & naturam angelicam. Quapropter, ut eum κακίας ὑπερβολὴ brutis, sic δρετῆς ὑπεροχὴ angelis quodammodo aggregat. ὅταν γὰρ πνα παντελῶς ἰδωμὲν Φαῦλον, εἰδ' ἀνθρώπων Φαμὲν εἶναι, ἀλλὰ θη- ριον, II. Mag. moral. 5. E contrariò: ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ δι' δρετῆς ὑπερβολήν. VII. Nicom. I.

17. Ex his facile jam perspiciet aliquis, non tantum è quibus initiis ad Heroicam virtutem exponendam Aristoteles fuerit progressus, sed etiam, quid illam esse voluerit, nihil aliud scilicet, *quàm moralis virtutis eam, quæ super hominem est, in homine excellentiam extraordinariam*.

18. Ab hâc planâ & simplici descriptione qui recedunt, grandia illi quidem & sublimia quædam de Heroicâ virtute commentantur, sed quæ Aristoteli parùm congruant, adhæc, si fundamenta eorum consideres, non vacent periculo. Quod jam porò probatum dabimus.

Per eam intellexerunt quidam

19. Sunt enim, qui virtutem Aristotelis Heroicam de pietate *in Deum, sanctitate, aut virtutibus Theologicis* interpretantur.

Pietatem,

20. De his illud Piccolominei verè usurpes: *Hi Theologorum decreta cum opinione Peripateticorum permiscentes sententiam proferunt,*



ferunt, quæ nec Theologis, nec Peripateticis est consentanea, Grad. VI. cap. 9. p. 545.

sed ex hypo-  
thesi

21. Enimverò sic interpretandi vel unicam vel præcipuam causam habuisse hanc videntur, quòd existimarunt, Aristotelem, in moralibus pro doctore se gessisse non tantùm ejus officii, quòd homo sibi ipsi atq; aliis hominibus, sed & quòd Deo deberet, neq; hujus tantùm sed & alterius vitæ beatitudinem ipsi conciliaret. Cùm itaq; in universo virtutum moralium Catalogo nullam esse pietatis similiumq; virtutum factam mentionem viderent, nihil illis restabat, nisi ut eas hariolarentur appellatione heroicæ seu divinæ virtutis à Philosopho indigari,

22. Fuit ergò principium erroris, quòd Aristotelem non solius Philosophiæ, sed, Platonis imitatione, etiam Theologiæ professorem agere voluisse perperam crediderunt.

periculosa :

23. Quæ persuasio nobis eò studiosius fugienda est, quòd pestilentiore fructum eam videmus seculis superioribus protulisse, cùm Theologiæ & Philosophiæ terminos confunderent Scholæ; cùm Colonenses Theologi edito de salute Aristotelis libro non dubitarent concludere, Aristotelem sic fuisse Christi præcursores in naturalibus, quemadmodum Johannes Baptista in gratuitis, (Cornel. Agripp. c. 54. de vanit. scient) cùm pro concione ablegato Evangelio Aristotelis Ethica enarrarentur, (Apol. Aug. Conf. tit. de justif. Philipp. Tom. IV. Decl. p. 583. Adam. vit. Philos. Germ. p. 186.) cùm Theobaldi Thameri impia vox audiretur, affirmantis, etiam amissis libris prophetiis & Apostolicis tantum in Ethicis Aristotelis sapientiæ esse, ut ex eo libro solo satis doceri Ecclesia possit, (Zach. Rivandi Promptuar. fol. 60. Philipp. Tom. III. Declam. p. 521. Camerar. ad. libell. Plutarch. de virtute moral. p. 119.)

& falsâ :

24. Sed nihil est, quòd etiam pietatis præcepta in Nicomacheis quæramus. Neq; tamen ob hanc causam Aristotelis moralis Philosophiæ imperfectionis arguenda erit. Citiùs enim Plato hic πολυπεράγμων, quàm mutilus Aristoteles efficietur. Theologi munus est, non Philosophi, exequi ea, quibus post mortem beatorum misceamur cœtui.

quâ occasio-  
ne defenditur  
Aristoteles  
à Rameis ;

25. Unde existimes iniquitatem pariter & imprudentiam Rameorum, qui petulantissimè in Aristotelem debacchantur, quòd suas



suas de summo Bono disputationes non extenderit ultra hanc vi-  
ram: quasi aliquid amplius posset à Philosopho expectari. Quibus  
profecò, si accusationem illam tueri velint, aut statuendum fue-  
rit, posse hominem extra Ecclesiam per philosophiam salvari: aut  
ad monstrosam illam Theologiæ cum Philosophiâ confusionem  
redeundum.

26. Sed alibi fortasse vindicabimus ab horum conviciis prin-  
cipem Philosophorum. Nunc de *Heroicâ virtute* quod cœpimus,  
pertexemus.

27. Fuerunt, qui contenderent, eam esse absolutam *evulsio-* alii *ἀπα-*  
*nem perturbationum*, quam vulgò *ἀπάθειαν* Stoicam, *οἰπλασόντων* *θειαν*,  
*τεσ* virtutem purgatoriam vel virtutem vitæ contemplativæ appel- aut virtutes  
lant: sunt enim in his disputationibus synonyma, *τὸ καθαρευτικὸν*, purgatorias,  
*θεωρητικὸν*, *ἀπαθείας*.

28. Verùm & hæc expositio à Philosophiâ Peripateticâ pro- frustra.  
fus est aliena, recte q; hoc nomine rejicitur à Pico lomineo *gr. VI.*  
*c. 7. p. 542.*

29. Nusquam enim Aristoteles, vel *ἀπάθειαν* approbasse, vel  
*quatuor illos virtutum gradus Platonicos*, (de quibus paulò post  
dicemus) sub quibus sunt purgatoriae virtutes, observasse depre-  
henditur.

30. Sed finge, purgatorias virtutes etiam à Peripateticâ scho-  
lâ agnosci: tamen, quò minus de iis virtutem Heroicam interpre-  
temur, hoc in super obstat, quò Aristoteles virtutem Heroicam  
non nisi gradu distinguit à morali, à quâ purgatoriae si accuratè veli-  
mus loqui, solidâ specie (quæ ratio etiam ad pietatem & virtutes  
*Theologicas* applicari potest,) differunt, quippe quarum formam  
faciunt *ἀπάθειαν*, quum moralium sit *μετριοπάθεια*.

31. Si quid autem conjecturâ valemus, interpretationis illius & ex hypo-  
fundamentum fuit illa philosophandi ratio, quam à Porphyrio in- thesibus, quæ  
cepisse solertissimus harum rerum indagatur Franciscus Patricius placuerunt  
docet *Tom. I. Diss. Perip. lib. XII. fol. 161.* huic innixam hypothesi: quidem vete-  
*Aristotelis & Platonis unam esse eandemq; doctrinam.* ribus quibus-  
nem & veteres Aristotelis interpretes Christianos eò cupidius secu- dam,  
tos, probabile est, quò honestior apud vetustiore Ecclesiam sem-  
per



per existimatio Platonis, quam Aristotelis fuit; ut omnino & hic  
Inconfundum veniat nimium *Platonismi* studium, à quo & Peripa-  
ti olim & Theologiae circulos valde perturbatos fuisse constat.

& in his Eu-  
fratio,

32. Sanè Eustratius Metropolita Nicæensis illam ἀπάθειαν,  
& βίον κατὰ θεῖον ἢ τοὺς θεωρητικόν, quem & τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπων βί-  
ωσιν (sicut Aristoteles virtutem Heroicam τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἀρετήν,)   
appellat, passim in commentariis ad Nicomachea urget, utq; rem  
τῆς μετριοπαθείας & βίω πολιτικῶν longè præstabiliorem, in coelum  
laudibus vehit; ut non dubium sit, eum virtutem Heroicam de I-  
stiusmodi ἀπαθεία accepisse, quod & Piccolomineus *l.c.p.542.* ipsi  
imputat, licet hoc apud eum κτ' τὸ ῥητὸν ad c. 1 lib. VII. Nicom. haud  
reperias, sed in hanc rem nihil aliud legas, nisi quòd eam τοῖς ἀνθρώ-  
ποις τοῖς ἤδη τὰ θεῶ ἐνώθησι, καὶ θεοὶ θεοῖς ἔσι tribuit.

& duobus a-  
nonymis,

33. In hunc eundem sensum exaudieadus est Anonymus  
quoq; ille Christianus περὶ ἀρετῶν, quem Wegelinus Augustæ An-  
no 1603. edidit, p. 52. ubi de Virtute Heroicâ, quæ ipsi Θεότης voca-  
tur, hæc scribit: τὸ μὲν γὰρ ἐν τοῖς κτ' θεῶν πολιτευομένοις ἐνεργεῖται.

34. Pleniora hæc leguntur apud alium (si modò alius est) Ano-  
nymū in fine, quem in eadē urbe Hoeschelus Anno 1594. & sic an-  
tè Wegelinum, vulgaverat: τὸ μὲν γὰρ (inquit,) ἐν τοῖς κατὰ θεῶν πο-  
λιτευομένοις, καὶ ἐν ἀγίοις μόνοις ἐνεργεῖται, ὅπῳ ἦν ἡλίας ὁ  
τῶν πυρῶν ἱπποναρέματιλατης ὅπῳ παῦλ ὁ εἰς τρίτον  
ὄρανον ἀρθεῖς, καὶ τῶν ἀπορρήτων ἀκρίβειας ῥημάτων: καὶ οἱ τῶν  
ὁμοιοί.

35. Satis patet, quod hominum genus hi scriptores intelligant,  
per τὰς κατὰ θεῶν πολιτευομένους, contemplativas scilicet, uti illis  
seculis vocabantur, qui mundo prorsus mortui angelicam agere in  
locis desertis vitam præsumerent, cujus ineundæ consilium Helia  
se exemplo, & Pauli in tertium coelum rapti, defendere scilicet  
putabant posse.

36. Hic enim fuit publicus illorum temporum error; quem  
auxerunt postea Monachi insanis suis de præstantiâ vitæ contem-  
plativæ, (quam tamen ipsi veteriorum Διατριβαῖς longè dissimi-  
limam egerunt,) declamationibus, donec benignitate DEI exor-  
tus Lutherus inter alias ἐπελοθεσηκειας hoc quoq; vivendi genus  
deprehensum, quoniam præcepto divino careret, exautoravit.

37. I ta



37. Ita enim est. Non in sacris bibliis, sed in dogmatibus  
Platoniorum fundata hæc sunt, Faciebant *Platonici quatuor vir-*  
*tutum gradus, seu genera: extrema duo, politicas, quæ hominis, ut*  
*hominis, essent, (æ sunt morales nostræ,) & exemplares, quæ*  
*DEI; intermedia totidem, quarum ope videlicet homo se supra*  
*humanam conditionem attolleret, divinitatisq; cujusdam fieret*  
*particeps. Ex his unum genus vocabant purgatorias virtutes, alte-*  
*rum animi purgati. Quarum hanc in primis statuisset differentiam*  
*videntur, quod purgatorie animum ab affectibus seu perturbatio-*  
*nibus expedirent penitus, purgarentq; atq; adeo ἀπάθειαν induce-*  
*rint, quæ erat illa decantata, & in modum definitionis Philoso-*  
*phiæ usurpata μελέτη θανάτου: purgati vero animi virtutes cum ita*  
*purgatum solis rerum divinarum contemplationibus occuparent.*

38. Hæc antiquis patribus Ecclesiasticis, ut multa alia phi-  
losophiæ Platonice, quæ tùm præ Peripateticâ florebat, supra mo-  
dum arrisisse, scripta eorum clamant. In quibus ideò multus est  
ἡ κατὰ θεοῦ τῆς ψυχῆς sermo.

39. Atq; ab his initiis paulatim irreperunt in Ecclesiam τῆς ἀπάθειας, & vitæ contemplativæ, in quâ fingebatur nescio quæ  
Christianismi absoluta perfectio, plenissima supercilii encomia &  
apothefes, ad ævum usq; Scholasticorum unâ cum illâ ipsâ virtu-  
tum quædrupartitione deductæ.

40. Hi virtutes purgatorias & animi purgati, sic ad extremum  
distinxere, ut purgatorie viatoribus, animi purgati beatis post hanc  
vitam competere: quanquam Thomas 1.2 q. 61. art. 5. hoc po-  
stremum genus etiam viatoribus quibusdam concedit: illis opi-  
nor, qui in istâ sanctitate ἐκείνης paterentur.

41. Valdè severa est *Philippi Melancthonis* censura, quam  
è Commentariis ejus in *Ethica Arist.* quæ Anno 1532. prodierunt,  
adscribemus: *Platonici (inquit A. 7.) imitatione Christiana doctri-*  
*næ sinxerunt κατὰ θεοῦ τῆς ψυχῆς virtutes, quibus animi purgantur. Sed illas*  
*nugas commentus est Diabolus, ut obscuraret doctrinam Christianam,*  
*& opinionem faceret imperitiâ, doctrinam Christianam nihil differ-*  
*re à Philosophiâ, & rationis vires ad rectè vivendum, & ad omnes*  
*morbos sanandos satis esse.*

42. Causarum ergò abundè habemus, cur ista quoq; Virtus  
B  
tis



tis *Heroica* de ἀπαθεία aut purgatoriâ virtute expositio f. specta  
fit nobis, quippe, quæ proinde ut superior altera, de qua thes 9.  
& sequentibus diximus, natales suos debet infelici *mixtura*, quâ  
vel peripateticam Philosophiam, vel Theologiam incauti quidam,  
ne quid gravius dicamus, Platonice commentis adulterarunt.  
Unde simul videas priori expositioni hanc valdè affinem esse, præ-  
sertim cum purgatorias virtutes Ethnici pariter & Christiani Plato-  
nici pro scalis quasi habuerint, quibus restâ in Cœlum ascendere-  
tur scilicet.

& falsis.

43. Nostro verò Aristoteli nunquam solenne fuit isto more  
ἀεὶ βάρειν, cuius inter præcipuas laudes hæc celebratur, quod  
moralem doctrinam à rigidâ illâ & inaccessâ Platonis ideâ ad po-  
pularem moderationem & huic vitæ consentaneas leges revoca-  
vit. A cuius instituto, quicumq; purgatorias virtutes & ἀπαθείαν  
crepant, immaniter resilire certum habemus, ut nihil minus, quàm  
pro ejus interpretibus ferri possint.

Acceditur ad  
reliquata Ex-  
ercitationis  
superioris,  
ostenso, què  
fensum,

44. Quare & nos, spreto horum τερατολογίας ea nunc, quæ  
de Heroicâ virtute in superiore Exercitatione reliqua fecimus, ex-  
pediemus.

45. Ubi ante omnia hoc est in memoriam revocandum, nos  
heroicam virtutem, etsi eam non novam virtutis speciem, sed gra-  
dum modò excellentem fecimus, certo tamen quodam, & ut opi-  
namur non absurdo consilio, laxius, quàm Aristotelem in Nico-  
macheis, usurpasse, pro eminentiâ videlicet non *moralium* tan-  
tum, sed & *intellectualium, aliarumq;* virtutum, ut ibi exposuimus.

46. In quo tamen operam dedimus, ne id peccaretur à no-  
bis, quod hactenus aliis exprobravimus. Non enim ea vendita-  
vimus pro Aristotelicis, sed nostras esse cogitationes voluimus:  
neq; prorsus immutavimus significationem termini, sed extendi-  
mus tantùm, quousq; extendi eum posse & ratio dictabat, & usus  
suadebat recentior.

& quibus ex  
causis vox  
Heroica vir-  
tutis ibi ac-  
ceperit,

47. Videbamus enim, loquendi more hodiè consveto *Hero-*  
*es* appellari non modò, qui *moralis* aliquâ virtute, sed & qui *intelle-*  
*tuali*, aut *Theologica*, aut *miraculosis habitibus* suprâ humanam  
sortem essent evecti. In quibus omnibus, quoniam meritò *He-*  
*roicum* aliquem & *θεόδοτον* habitum veneramus, rectè nos fa-  
cere



cere arbitrati sumus, si in disputatione liberâ eam poneremus Heroicæ Virtutis amplitudinem, quæ singulis Heroibus in suo genere posset applicari.

48. Aristotelis aliud consilium fuit, cui cum in Ethicâ doctrinâ Virtutis Heroicæ esset injicienda mentio, non debuit eam ultrâ limites virtutis moralis ibi exporrigere.

49. In iisdem terminis & recentiores Ethici, nobis non improbantibus, se continent: quarum tamen multi *ὡς ἐν παρόδῳ* in intellectuâ insuper virtute, non pauci in divinis quoq; seu spiritualibus donis Heroicum gradum agnoscunt: licet non omnium eadem sit hujus argumenti enarratio. Videantur Piccolom. grad. VI. c. 4. Jac. Martini lib. II. Synops. Eth. c. 24. p. 535. Guik. Disp. Pract. XIII. S. 27. Spengl. Exerc. Eth. XII. artic. 1. S. 4. Burgersdic. cap. 23. Idea Phil. Mor. S. 22. p. 250. Keckerm. III. Syst. Eth. S. can. 2. & ejus descriptor Aidius p. 868. *Clav. Philos. Mor.*

50. Nec ipse Aristoteles ullibi negavit, posse aliis quoque virtutum generibus gradum istiusmodi heroicum accrescere. Imò de virtute intellectuâ mentem ejus satis aperit qu. I. sect. XXX. problematum, ubi *ὡς τῆς ἀνδρα* (quos optimâ ratione heroicâ virtute præditos interpretabimur,) considerat, non eos modò, qui *καὶ πολιτικὴν* excelleret, sed & qui in genere *καὶ φιλοσοφίαν*, item, *κατὰ πόλιν ἢ τέχνας*.

51. De quibus ergò cunq; hominum habitibus constaret, eos à DEO extrâ ordinem in præstantiam plusquam humanam elevatos interdum esse: ab iis omnibus communem naturam, Heroicæ virtutis titul, superiori Exercitatione abstraximus, eamque definivimus, *habitum excellentem, quibusdam hominibus extraordinariè à DEO collatum, efficiendi actiones admirandas, ad salutem publicam Ecclesie aut Reipublice.*

52. Offerebant se in eâ Definitione expedienda quinq; *genus* evolvendâ nimirum, *causa efficiens, subjectum, objectum, finis.* De quibus non nisi posteriora duo huic exercitationi servavimus.

53. Quantum enim ad *genus, & causam efficientem*, ostendimus ibi, virtutem Heroicam esse habitum, & quidem à DEO, collativè atq; extrâ ordinem agente, infusum. Porro *subjectum* docuimus esse hominem absq; conditionis exceptione, ita scilicet, ut in



Ethnicos quoq; foeminas & pueros eam virtutem cadere posse probaretur.

54. Restat ergo, ut de *objecto & fine* videamus, ac tam subjungamus caetera, quae in simplici Themate pertractari solent. In quibus eo breviores esse poterimus, quod eorum ferè omnium iacta sunt in jam dictis fundamenta.

OBJECTVM

55. *Objectum* fecimus *actiones admirandas*. Potuissimus & *finem* appellare: *internum* scilicet. Nam & moralis virtus diverso respectu pro fine pariter & *objecto* habet *actiones*. Sed quoniam in evolvenda definitione placebat semel tantum finem nominare, *objecti* vocabulo hic uti voluimus.

internum, actiones

56. Sint ergo *objectum* Virtutis Heroicae *actiones admirandae*. *Actiones*, quoniam omnis habitus est potentia activa, seu ad agendum vel operandum destinata.

57. Unde aestimes, *actionis* vocem hic eà latitudine usurpari, ut non *externas* modò, sensuiq; patentes, sed & *internas* intellectus voluntatisve agitationes comprehendat. Quarum quaedam ibi maximè sunt operosa, ubi hominem, si corporeis solum oculis inspicias, non agere quicquam, sed aut pati tantum, (ut Martyrum aliquem in eculo,) aut planè otiosum esse, (ut profundis speculationibus immersum) arbitrèrè.

admirandae;

58. Adjecimus, *admirandae*. Quia naturales aut ordinarias hominum vires metientibus, quas haec actiones intervallo post se relinquunt, admirationem meritò movent. In quo vis Heroici gradus reposita est.

externum, res ipsa.

59. De caetero, quoniam heroicam virtutem ejusdem esse cum aliis speciei statuimus, facile erit inferre, quicquid praetercà aliis virtutibus per modum *objecti externi* propositum est, puta res ipsa, quas actionibus suis sive contemplando, sive agendo, sive efficiendo attingunt, idem quoq; in virtute Heroicà *objecti* rationem habere.

60. Ubi tamen non necesse est simul requirere, ut *objectum* illud sit excellentius & majus *objecto* virtutis communis, quemadmodum hoc requiri videtur ad Magnificentiam & Magnanimitatem à Liberalitate & Modestia distinguendam: sufficit enim, si *actio* ipsa circa *objectum* idem & similiter se habeas, *actione* communis virtutis excellentior sit.

61. Fi-



61. *Finem Heroicæ virtutis posuimus salutem publicam Ecclesie aut Reipublice.* Ita enim factum videmus, ut, quotiescunq; DEUS eximium aliquod in Republicâ aut Ecclesiâ opus moliretur, aut certe rem magnæ hominum multitudini profuturam, heroicis viros excitarer. Quales fuerunt citrà controversiam, Abraham, David, Alexander M. Julius Cæsar, Carolus M. Johannes Fridericus & Mauritius Electores, Lutherus, Philippus, alii; quorum insignia & stupenda partim pro Ecclesiâ, partim pro Republicâ gesta nemini ignorantur.

FINIS  
externus;

62. Est autem Ecclesie & Reip. salus finis Heroicæ Virtutis *externus.* Nam de *interno*, qui ipfis Heroicis actionibus definitur, supra potuit è th 55. cognosci.

internus.

63. Huc referimus, quod quidam finem Heroicæ virtutis moralis statuunt *accessionem ad similitudinem DEI*, ut Jac. Martini II. *Synops. Eth.* 24. p. 532. Wendelerus *lib. I. Pract. Phil. sect. 2 c. 12. p. m. 229.* Gark. *Disp. Pract. XIII. §. 26.* Timplerus III. *Eth. 21. pract. 11.* Aadius pag. 869. *Clav. Philos. Moral.*

64. In quo pulcher se locus aperit, speculandi, an per Heroicam virtutem fiat aliqua in homine imaginis divinæ, quantum ejus à lapsu servatum est, ad pristinum statum elevatio? Id quod Dominis Theologis discutiendum relinquimus.

65. De *definitione* Heroicæ virtutis hæc sufficiant. Eorum, quæ reliqua sunt, tria faciemus capita, dicturi breviter de ejus *divisionibus cognatis, pugnantibus.*

66. *Divisio* Heroicæ virtutis *duplex* institui potest, una per species, altera per gradus.

DIVISIO

67. Per species iisdem modis, quibus aliàs habitus vel virtutes secantur. Quorum est maximè concinuis ille, qui ratione *subjecti* fit in *intellectuales & morales.*

Per species:  
à subjecto;

68. Possuntq; ad hæc duo genera (quoniam hanc divisionem, ut *immediatam & primam* hoc loco protulimus, non, ut *subdivisionem* habituum acquiritorum,) revocari illæ quoq; virtutes, quas aliàs *Theologicas* vocamus, item *dona spiritus*: præsupposito, hæc omnia esse id, quod innuimus, *habitus* scilicet *permanentes.*

69. Quod si probetur, quædam è dictis esse *motus* tantum *transitorios* (quod disceptare non est hujus instituti) fatemur, virtutis, seu habitus Heroici nomen minus illis propriè competere. Est tamen in



iis augustum aliquid omnino atq; divinum, ut, si non *habitus*, saltem *dona* heroica dici mereantur.

ab adipiscen-  
di modo;

70. Altera habituum *ab adipiscendi modo* divisio est, cum alii humanis viribus in suo genere (de gradu enim hic non sumus solliciti) *parabiles* dicuntur, e. g. notitia linguarum, fortitudo; alii *secus*, ut fides salvifica. Quorum illi aliàs *acquisiti*, hi *infusi* appellantur: sed instituto nostro convenientius, & ambiguitati evitandæ aptius est, eos distingui nominibus *acquisibilem*, & *non acquisibilem*, vel similibus. Potest enim hæc ipsa divisio & Heroica virtus dividi, quam tamen th. 53. In genere & universaliter *habitu infusum* esse diximus.

71. Atq; hoc pacto emerget illa Heroicæ virtutis, in *per se*, & *per accidens infusam* partitio, quæ jam è th. 65. superioris Exerc. intelligi potuit. *Per se infusa* exemplum est in Heroica fide Abrahami; *per accidens infusa* in linguarum cognitione, quâ divinitus instructi fuerunt Apostoli.

à fine

72. Superest tertia Heroicæ virtutis, eaq; *per finem* divisio. Quoniam enim Ecclesiæ aut Politicæ bono hæc virtus à Deo conceditur, ut ante diximus th. 61. proclive est, illam in *Ecclesiasticam* & *Politicam* dividere, quemadm. & th. 18. prior. Exerc. Heroum duas classes fecimus, *Politicam* unam, *Ecclesiasticam* alteram.

Per gradus.

73. His ergo mediis in *species* suas distribui potest Heroica virtus. Cæterum & *gradus* eam suos atq; latitudinem intensivam habere, quam & communis virtus habet, facile persuadeas. DEUM enim qui hic per potentiam agit absolutam, supremo communis virtutis gradui complures gradus Heroicos imponere posse quis neget?

74. Nec potest tantum. Sed & fecit, quod potest: ut vel Heroum Davidis exemplo perspicuum sit, quorum alii aliis in eodem virtutis Heroicæ genere eminentiores perhibentur, II. Samuel. 23.

COGNATA,  
virtutes com-  
munes:]

75. *Cognata* quasi sorores Heroicarum virtutum sunt *virtutes alie* ad differentiam earum, tanquam singularium, *communes* appellatæ. A quibus, quoniam tantum *gradu*, non etiam *specie* differre eas toties diximus, id huic maximè loco, ubi confirmaretur, visum est congruere.

à quibus He-  
roicam specie  
differre ne-  
gatur.

76. Observes autem, statum esse Controversiæ, non, an e. g. fides heroica differat specie à fortitudine vulgari? Quis enim hoc neget?  
cum



cum fides & fortitudo, etiam præcis ipforum gradibus, species fiat maximè distinctæ; sed an, (ut maneamus in his exemplis,) fides Cananæ Heroica differat à fide non-heroicâ Reguli? aut fortitudo Samsonis heroica ab Uriæ fortitudine communi?

77. Hoc igitur sensu acceptam quæstionem negamus, neq; ratio est aliter sentiendi. Cum enim communis fortitudo cum Heroicâ quoad ipsam *objecti, formæ, finis*, & si quæ alia hic spectari fas est, essentiam conveniat, specie utiq; non differet.

78. Neq; specificam differentiam parere potest, quod altera *extrâ ordinem* infundatur à Deo, altera *ordine usitato ab homine* acquiratur, & ad prioris excellentiâ non assurgat. Nam aliàs etiam Adamus à Deo immediatè creatus divinâq; imagine planè coruscans, specie differre statuendus foret ab homine quovis, qui hodiè juxta ordinem naturæ progignitur.

79. Citatur in contrariam sententiam Thomas 1.2. q. 54. art. 3. cujus rationem Piccolomineus *grad. VI. c. 5.* expendit. Sed nescio, an hæc vera sit pugna. Videtur enim Thomas per virtutē Heroicam intelligere virtutē aut *purgatoriam*, aut *Theologicam*, quam etiam nos fatemur esse à civilibus & huic vitæ natis virtutibus specie distinctâ. Sed quid de illâ expositione judicandum sit, suo loco jam declaratum est.

80. Fuisse autem & Aristotelem ejusdem nobiscum sententiæ, ut alia omittamus, vel istuc evincit, quod VII. Nic. 1. τὸ ἡρωικὸν Hectoris per τὸ ΣΦΟΔΡΑ ἀγαθὸν εἶναι explanat. Eâ enim particulâ *gradus* non novas τῆς ἀγαθοσύνης vel ἀρετῆς species designatur. Neq; unquam Homerus Hectorem à *purgatoriis*, semper à *politicis* virtutibus commendaverat.

81. *Pugnantiâ* virtutis Heroicæ ut probè pernoscamus, animadvertendum est, posse eam *tripliciter* considerari: uno modo, ut est habitus simpliciter; altero, ut est habitus bonus; tertio, ut est habitus *ἡρόδοτος*.

82. Ut simpliciter habitus est, oppositam habet inhabilitatem atq; inertiam; ut habitus bonus, habitus pravorum, qui sunt in intellectu errores, in voluntate vitia; ut habitus à DEO collatus virtutes pseudo-heroicas, à Diabolo, Dei permisso, infusas, quales sunt, qui familiarium, quos vocant, spirituum ope conciliantur.

83. In specie, quod ad *moralem* Heroicam attinet, notum est, ei ab Aristotele τὴν *μερότητα* fuisse oppositam, id scilicet secuto oppositionis genus, quod modò secundum faciebamus.

84. Eam

PUGNANTIA,  
in genere:

inhabilitas:  
habitus pravi:  
habitus pseudo-  
heroici;

in specie,  
feritas.



84. Eam Latinorum pleriq; feritatem vertunt, nonnulli bestialitatem. Nostris, inquit Amerpachius ad lib. II. Magn. mor. Arist. p. 280. aliquando satanica vel Diabolica improbitas vocatur, novè quidem, sed tamen significantiùs. quàm veteres vel Græci vel Romani vocaverunt eam. Joannes Jovianus Pontanus immanitatem appellavit, scripto de eâ libello peculiari, qui in fine Tomi I. operum ejus legitur, Wegelini elogio lectione dignissimus, ad Anon. de virtute p. 612. quemq; scholiis illustravit Jacobus Spiegelius, ut ipse testatur ad v. 32. hymn. Prudentii de Mirac. Christi.

85. Est autem feritas extremi gradus malitia, hominem ita depravans, ut feræ bestię (unde & nomen invenit) quàm homini similior evadat. Quo nomine id hic vitium intelligitur, non quod à morbo est profectum, ut in phreneticis, id enim caret moralitate, sed quod homo spontaneâ prodigi- esè poccandi libidine sibi conscivit.

86. Feritatem multi Ethicorum ajunt Heroicæ virtuti in excessu adversari. Quò factum est, ut de vitio defectus quoq; cogitaverint, quod fecerunt summam ignaviam & inhabilitatem ad omnem virtutis impetum. Sed inhabilitas, ut modò vidimus, Heroicæ virtuti non, in quantum habitus bonus est, (in mediocritate consistens,) sed, prout simpliciter habitus est, opponi meretur.

97. Nicolaus Hunnius Diss. X. Ethic. §. 11. p. 213. cuius in specie Heroicæ virtuti morali unum saltem extremum opponi docet, quod pro diversitate ipsarum communium virtutum, quibus heroicus gradus supervenit, quarum alia excessui, alia defectui propiores habentur, diversa mereatur nomina. Verùm, ut omittamus alia, quæ arguto doctissimi Viri discursui ob- jici queunt, conficitur illo pacto, ut Heroicæ temperantiæ non possit opponi nefandæ & vivi comburio dignæ libidinis flagitiù, quod tamen, quin ad feritatis species pertineat, adeoque Heroicæ temperantiæ opponatur, nemo debitavit.

ab excef- 88. Placet ergò hic nobis aliorum simplicitas, qui, excessus, defectusve omiffis vocabulis, nudè di-  
fu & de- cunt, Heroicæ morali opponi feritatè. Neq; aliter Aristoteles, qui hic  $\omega\epsilon\iota\ \upsilon\pi\epsilon\rho\beta\omicron\lambda\eta\varsigma\ \eta\ \epsilon\lambda\lambda\epsilon\iota\psi\epsilon\omega\varsigma$  ne verbum quidem fecit,  
fectu ab- fracta.

89. Atq; sic fieri oportebat. Heroica enim virtus non specialis quædam virtus est, qualem obversis frontibus hinc defectus, inde excessus respiciunt: sed virtutis generatim acceptæ stat<sup>o</sup> excellens. Què admodù igitur ipsi virtuti communi in genere sic dicta simpliciter vitium, ab excessu pariter & defectu abstractum opponitur: consimiliter Heroicæ virtuti veritas ab excessu & defectu abstracta opponenda erat.

90. His ita positis locus adhuc relinquitur inquisitioni: an non, si ad species morales heroicæ deven- tum fuerit, de excessu & defectu separatim nominandis cogitandum sit? Vbi putes, posse utrumq; vi- tium feritatis nomine designari, adjectis, quæ discrimen faciant,  $\pi\rho\sigma\delta\iota\omicron\rho\iota\sigma\mu\omicron\iota\varsigma$ , ut e.g. Forti- tudini Heroicæ hinc audacia ferina, qualis urfi exaggerati; illinc ferina timiditas, qualis leporù (Ari- stoteli expressè c. 5. l. VII. Nicom.  $\theta\eta\rho\rho\omega\delta\eta\ \delta\epsilon\lambda\iota\alpha\nu\ \delta\epsilon\iota\lambda\omicron\varsigma$  ille audit, qui etiam ad muris stridorè exhorrescat,) contraria statuatur. Sed quoniam totum hoc de feritate argumentum specialem tra- ctationem, & quæ ab altiore repetatur principio, postulat, hæc ulterius indagare nunc omitemus.

F I N I S.



DD A 6358

ULB Halle 3  
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077


512











29

EXERCITATIO PHILOSOPHICA  
POSTERIOR  
De

# HEROICA VIRTUTE,

*Ad disputandum proposita*

M. IACOBO THOMASIO, Lips.

Philos. Moralis Prof. Publ.

RESPONDENTE

BENEDICTO DAVIDE CARPZOVIO,

Lips. Magisterii Candidato,

*In 16. d. Januarii*

H.L.Q.C.

LIPSIÆ,

Literis WITTIGAVIANIS,

M DC. LVI.

